





UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG

Di. 2. 11. 6. 95





TRACTATUS  
HISTORICO-  
CHRONOLOGICUS,  
VENERANDÆ ANTIQUITATIS

Innixus  
Subsidio,

Quo  
ILLUSTRES ECCLESIAE CHRISTIANÆ  
PRO CERUM, S. PATRUM, EPISCOPORUM  
PRESBYTERORUM,

Aliorumque Clarorum Virorum,

CONSESSUS

Præcipui  
*aperiuntur*,  
Causâ Ejusdem olim congregatorum.  
Simul ac

CONCILIA QUATUOR OECUMENICA,

Suo quodque loco collocatum,  
Nec non SYMBOLUM cujuscunque, CANONES  
quoque, CAPITULA, DECRETA, & id genus alia  
*dilucidantur*,

Ex  
*Recensione & Interpretatione*  
JOHANNIS LUDOVICI RUËLII, Rëetzensis Neo-Marchici,  
*Theolog. & Philosoph. Doctör. antehac Archipresbyteri Ecclesia-  
rum, quæ Strasburgi sunt, Borussiae.*

---

Impensis Authoris.  
COLONIAE BRANDENBURGICÆ,  
Ex Officinâ Georgi Schultzii, Elect. Typogr. clō Iōc LXVII.



SACRI. ROMANI. IMPERII.  
*PRINCIPIS. POTENTISSIMI.*  
SERENISSIMI. ELECTORIS. ET. ARCHI-CAMERARII.  
DOMINI. AUGUSTISSIMI,  
HEROIS. MAGNANIMI. FELICISSIMI  
PACIFICI.  
NOMINE. ET. OMINE.  
**FRIDERICI.**  
**VVILHELMI.**  
AMANTISSIMIS. FILIIS.  
STEMMATE. JAGELLANICO. VETUSTISSIMO. ORIUNDIS.  
MAGNI. PARENTIS.  
AEMULIS.  
*FLORENTISSIMO.*  
FRATRUM. GERMANORUM. PRINCIPUM. PARI.  
QUI. MARCHIONUM. INSIGNE. DECUS.  
OPTIMA. SPES. PATRIÆ.  
DELICIÆ. OMNIUM.  
*SERENISSIMO. PRINCIPI.*  
*AC. DOMINO.*

**CAROLO. AEMILIO.**  
MARCHIONI. BRANDENBURGICO.  
PRINCIPI. HEREDITARIO. ELECTORALI. IN.  
BORUSSIA. MAGDEBURGI. JULIACI. CLIVIÆ. MON-  
TIUM. SEDINI. POMERANORUM. CASSUBIORUM. ET.  
VANDALORUM. NEC. NON. IN. SILESIA. CROSNÆ.  
CARNOVIÆ. IN. Jägerndorff. DUCI. BURGGRAVIO. NO-  
RINBERGÆ. PRINCIPI. HALBERSTADII. MINDÆ. ET.  
CAMMINI. COMITI. DE. MARCA. ET. RAVENSBERG.  
DYNASTÆ. IN. RAVENSTEIN. LAVVENBURG.  
ET. BÜTOVV. &c. &c.



AD. REGIMEN. NATO. ET. EDUCATO.  
PIO. FELICI.

ET. UT. PRÆSAGIO. MINIME. FALLAX.  
AUGUSTO.

MAIOR. INDE. QUOD. NON. ALIUM. QUAM. QUEM.  
ALMA. TRIAS. DESTINARAT. OLIM. IPSI. GENITORI. ANI-  
MOSO. CONCESSERIT. SED. EUNDEM. SUCCESSORI. FILIO. NA-  
TALEM. VI. NEMPE. MENSIS. FEBRUARII. DIEM.

QUEM. SEMPER. FELICEM. ET. FAUSTUM. ESSE. JUBEAT.  
ALTISSIMUS. DOMINUS. ILLE. DOMINANTIUM.  
TANTIS. QUIDEM. PRINCIPIBUS.

MARCHIONIBUS. IMPERATORIBUS.  
ILLI. JAM. DUM. AGENTI. ANNUM. XLVIII. HUIC.  
VERO. ANNUM. INEUNTI. ÆTATIS. TREDECIMUM.

PRÆBUIT. UTIQUE. REDUX. PRINCIPUM. NO-  
STRORUM. NATALIS. ILLE. OCCASIONEM. NOBIS. OP-  
PORTUNAM. INGENTIA. EXSOLVENDI. VOTA. PROUT. NON.  
ITA. PRIDEM. CONCURREBAMUS. UNDIQUE. CIVES. GRATULABUNDI.  
MAXIMI. MEDIOXIMI. MINIMI. SUBDITI. SINGULI. SUPPLICES. OMNES.

ET. ECCE. SUCCEDIT. NUNC. ALIA. LUX. FAUSTA. MARTII. *QUIN-  
TA*. FASTI. QUAM. SIDERE. SIGNARUNT. PROSPERO. NOMINE. VI-  
DELICET.

*FRIDERICI.*

QUOD. VIX. IN. ALIQUO. TERRÆ. MAGNATUM. EX. ME-  
RITIS. REFULGET. SPLENDIDIUS. QUAM. IN. NOSTRO. PRINCIPE.

**FRIDERICO. VVILHELMO.**

ACHILLE. IMPERII. ROM. OCTOVIRO.

HUJUSQUE. JUBARE. REGALI. INCLARESCIT.

**FRIDERICUS. DECENNIS.**

OPTIMÆ. INDOLIS.

MARCHIO. BRANDENBURGICUS.

AD. SUMMUM. FELICITATIS. FASTIGIUM. AUSPICATO. ANHELANS.



SUAVISSIMO. PROMTUS. AMPLEXU. PRENSARE.  
FRATREM. GERMANUM.

# LUDOVICUM.

INFANTEM. MARCHIONEM. ELEGANTISSIMUM.  
IN. TERRIS. CLIVIÆ. HEREDITARIIS. AN. SUPERIORI. cō Iōc LXVI.  
CEU. INTEGRI. CALCULI. ITA. ET. MAGNI. OMINIS. GENITUM.  
NIHIL. MINOREM. SANGUINE. HEROICO. ATQUE. PROSAPIA.  
PRINCIPE. LICET. POSTERIOREM. TEMPORE. NATIVO. INCUN-  
CTANTER. LARES. PATRIOS. SOLLICITANTEM.

HODIE. EXPECTATIONEM. SERENISSIMI. PARENTIS.  
VOLUPTATEM. ET. DELICIUM. *ILLUSTRISSIMÆ. MATRIS.*

# Ludovicæ. *aliàs.* Louisa.

LAETIFERAE.

Unser gnädigsten Landes-Mutter / Gurfürstin  
und Frau.

MATRIS. FACUNDÆ. FAECUNDÆQUE. QUÆ. DVLCE. IL-  
LVD. AMORIS. PIGNVS. ANTEA. PROVIDE. GESTAVE-  
RAT. PROPEDIEM. ALLATVRÆ. MAXIMUM. OMNIUM.  
NOSTRVM. DESIDERIVM. UT. SVSCIPIAT.

MARCHIO. *LÆTANTER.* MARCHIONEM.  
DUX. *MAGDEBURGI. BORUSSIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ.*  
*MONTIUM. &c.* DUCEM. EJUSD. INSCRIPTIONIS..

PRINCEPS. PRINCEPEM. *HALBERSTADII. MINDÆ &c. &c.*  
ECQUIS. ERGO. TANTA. GLORIA. MARCHIÆ.  
TOT. ET. TANTIS. PATRIÆ. IN. HOC. LUXURIANTI. DIVINI-  
TUS. CONCESSIS. BONIS. NON. EXULTET? ACCLAMAMUS.  
MERITO. CUM. NON. NISI. PRINCIPE. AC. DOMINO. NO-  
STRO. SALVO. VEL. VIVERE. VEL. VIGERE. QUEAMUS.  
EXCLAMAMUS. COMMUNI. OMNIUM.

VOCE.

VIVAT.



*VIVAT!*

FRIDERICUS, VVILHELMUS. PACIFICATOR.

ECCLESIAE. PACI. ET. PATRIAE. BONO.

*TREMOR. HOSTIUM.*

UT. IPSIUS. CLYPEO. TUTI. TUTO. RES. NOSTRAS. AGAMUS.

AGAMUS. SUB. SCUTO. PIETATIS. ET. JUSTITIAE. MARCHICI.

SAGACES.

*VIVAT! ET. NUMERET!*

INNUMEROS. DIERUM. SUARUM. ANNOS.

ANNIS. VEL. NESTORIS. PLURES.

ET. POST. FATA. DEMUM. SERA. ADMODUM.

*VIVAT!*

TANTUM. ENIM. PRINCIPEM. RARUM. PER-

QUAM. PROBITATIS. GRAVITATIS. AUTHORITATIS.

ET. DEOS. INTER. MORTALES. FELICITATIS. EXEMPLUM. FACI-

NORA. GLORIOSA. VETANT. MORI.

FRIDERICUS GUILIELMUS.

IN. AUGUSTISSIMA. PROLE.

*VIVAT. IN. CAROLO. AEMILIO! VIVAT. IN. FRIDERICO!*

*VIVAT. IN. LUDOVICO!*

ET. HI. VIVANT. MAGNI. PARENTIS. PROGENIES.

AVITAE. VIRTUTIS. SIMULACRA. INGENUA. VIVA.

IMMORTALES.

*VIVANT! VIVANT! VIVANT!*

CAROLUS. AEMILIUS. FRIDERICUS. LUDOVICUS.

MARCHIONES. PRINCIPES. DUCES. SACRO.

ROMANO. IMPERIO. SPLENDORI.

*VIVANT.*

POPULO. SALUTI.

QUAE. SUMMA. LEX.

VIVANT. NOBIS! VIVANT. POSTERIS!

FELICES. SOSPITES. GRATIOSI.

BENEFICI. ECCLESIAE. CHRISTIANAE. NUTRITII. EXOPTATIS-

SIMI. MUSARUM. EVERGETAE.

VOTA.



VOTA. SUNT. PRINCIPES. OPTIMI. SINCERA. ET.  
GRATVLATIONES. QUÆ. CERTATIM. NUNC. FUNDUN-  
TUR. SACRIFICIA. CORDIUM. QUÆ. OFFERUNTUR. IN. HOC. I-  
GITUR. GRATULATIONUM. CURSU. EGO. PTE. NE. VIDERER. VAL-  
DE. INOFFICIOSUS. FACERE. HAUD. POTUI. QUIN. QUOD  
CAROLO. ÆMILIO. IDEM. ET. FRIDERICO.

MARCHIONIBUS. LAUDATISSIMIS.

*DOMINIS. MEIS. CLEMENTISSIMIS.*

PROUT. EXIGUIS. HISCE. PAGELLIS. COMPREHENDITUR.  
AD. SINÆTAE. ILLIUS. EXEMPLUM. QUI. VEL. GUTTU-  
LAS. AQVARVM. REGI. SUO. OBtulit. NE. ΑΔΩΡΟΣ. ADESSET.  
*APPLAUDENTIUM. QUAMVIS. MINIMUS.*

SACRUM NUNCUPAREM.

ET. IN. GRATÆ. MENTIS. SIGNIFICATIONEM. PROLI-  
XAM. HUMILIMÆQUE. SUBJECTIONIS. DECLARANDÆ. ERGO.

CONSECRATIONE. QUA. DEBEO. SUBMISSA.

PATIANTUR. HOC. SERENITATES. VESTRÆ. CLEMENTER.  
DEDICAREM.

APUD. DEUM. SUMMUM. REGNORUM.

DIRIBITOREM.

PRO. SCEPTRI. BRANDENBURGICI. FIRMITATE. ET.  
GLORIA. REGIMINE. SECURO. AC. PRINCIPUM. MARCHIO-  
NUM. INCOLUMITATE. PERPETUA. PROSPERISQUE. RERUM.  
SUCCESSIBUS. QUIN. ET.

PRO. INCLYTA. DOMVS. BRANDENBURGICÆ. TRAN-  
QUILLITATE. ET. SALUTE. PERENNI. NULLO. VEL. TRISTI. CA-  
SU. TURBANDA. DEVOTUS. PARITER. ET. INDEFESSUS.

INTERCESSOR.


AT.

CLIENS.

*SERVUS. INFIMUS.*

RUELIUS.





C.  
C . C.  
C O N C I L I O R U M  
O E C U M E N I C O R U M

Δ Ι Η Γ Η Σ Ι Σ

§. 1.

**C**onciliorum authoritas, in quibus sententia dicitur secundum infallibilem Sac. Literarum normam, quæ perspicue homines de rectè sentiendis erudiunt, ceu Constantinus Imperator olim constanter asserere non dubitavit, apud Theodor. *lib. 1. cap. 7.* tanta est, ut maximè audiri debeant: Testantur enim de soliditate veterum dogmatum in Scriptis Prophetis & Apostolicis traditorum, traduntque memoriam sui illius testimonij per Symbola posteris, Doctoribus vel Interpretibus.

§. 2. Dicti sunt propterea Ecclesiae Antistites *Sal terra*, quia populo sapientiã præire debent, ut Cyprianus scribit *de Aleatorib. fol. 530. b.* Hocque omnium in Ecclesia Præsidentium, veluti Episcoporum, Presbyterorum, Cæterorum, Officium est, singulis ad salutem consulere, Pamelio adnotante apud Cyprianum *in Epist. 62. pag. 170. b.*

§. 3. Redduntur etiam, cum Synodi sint iudicia sancta, quibus omninò obtemperandum est, si rectè pronunciatum fuerit, *in Invites*, ut dici solet, quos ad suam, canonumque & decretorum observationem obligant. Vallens. *in Proœm. paratitl. Decret. §. 9. n. 1. Canis. lib. 1. t. 2. per c. in pr. verbo sub hoc. §. inter cætera. dist. 15.*

A 2

§. 4. In



§. 4. In rigore *Oecumenica* quatuor sunt CONCILIA. *NICÆNUM*. *CONSTANTINOPOLITANUM*. I. *EPHESINUM*, contra *Nestorium* coactum. Et *CHALCEDONENSE*, contra *Eutychem* indictum. Et hæc quatuor Concilia Generalia Justinus Imperator se sequi in omnibus profitetur. I. *cognoscere*. §. *seq.* Quorum sancita *ὡς τὰς θείας γραφὰς καὶ ὡς νόμους*, tanquam Divinas Scripturas & Leges in Romano Imperio observandas esse statuit. *Novell. 131. l. 3. & 4. c. de Summ. Trinit.* Ut in quibus ea, quæ spectant ad salutem hominum æternam, constituta sint. *Leg. Petr. Gregor. Tholozan. Lib. 12. de Republic. cap. 10. n. 4.*

§. 5. Quædam *OECUMENICA* cum *analogiâ quadam* dicuntur, ut *CONSTANTINOPOLITANUM* II. Contra *Monotheletas*, *Monophysitas*, & *Originistas* habitum. *CONSTANTINOPOLITANUM*, III. contra *Eutychanismi Sectatores* institutum. Ad quæ referunt nonnulli *NICÆNUM* II. Contra *Iconomachos* coactum, cui, quia malè cultum Imaginum determinaverat, CAROLUS Magnus opposuit *CONCILIUM FRANCOFURTENSE*, rectiùs circa illarum cultum sentiens, quo de videatur *Magnific. Johan-Georgius Dorscheus*, Theologus seculi nostri princeps, nunc *ἐν ἀγίοις*, qui omnium accuratissimè in suâ Collatione ad hoc Concilium Francofurtense rem pertractavit. Habitum quoque est deinceps An. CH. 870. Cùm Ecclesia valetudinaria in varias partes scissa erat, *CONSTANTINOPOLITANUM* VI. quod quidam *pro Oecumenico* venditant.

§. 6. De cætero Concilia *Oecumenica æquivocè* sic dicuntur, quæ à Pontificijs in ævum Ecclesiæ decumbentis collocantur, & à C. Rob. Bellarmino *Lib. 1. de Concil. cap. 4.* numerantur, veluti *LATERANENSE*. I. II. III. & IV. *LUGDUNENSE*. I. & II. *VIENNENSE*. *FLORENTINUM*. *LATERANENSE* V. & X. *TRIDENTINUM*. Et quinque illa *Lateranensia*, duo *Lugdunensia*, unum *Viennense*, unum *Florentinum*, & ultimum *Tridentinum*, apud Catholico-Romanos multum valent. *Leg. Jacobi Tirini Indic. sup. Comm. Biblic. Lit. C.*

§. 7. Græci, & qui cum his faciunt, *septem* Concilia *Oecumenica* dinumerant, ut est apud *Photium in Biblioth.* Et in dedicati-  
on.



on. Nicephor. Callist. ad Constantinum Mag. *Operi Histor. Ecclesiast. prefix. fol. 28. A.* Et in Confesf. Eccl. Oriental. per M. Gerlach. *translatum, Lit. H. 2. b.*

§. 8. PARTICULARIUM Conciliorum quædam vim habere atque auctoritatem œcumenicam autumant nonnulli, qualia sunt *ARELATENSE, ANCYRANUM, NEOCÆSARIENSE & GANGRENSE*, Nicæno priora. Item, *ANTIOCHENUM, LAODICENUM*, His annumerantur duo adhuc alia. *MILEVITANUM* nempe *primum*, quod tempore *Augustini*, & *ARAUSICANUM secundum*, quod tempore *LEONIS Thracis* Imperatoris circa medium fere *Seculi quinti* contra *Pelagianos*, hostes gratiæ, indictum est.

§. 8. Nos impræsentiarum *CONCILIA OECUMENICA* prioris duntaxat commatis, quatuor nimirum illa indubitatò sic dicta, huc, misfis cæteris, consideranda vocamus, quæ hac concione, quoad ejus fieri poterit, expediemus.

Faxit DEUS ter OPT. MAXUMUS, *ut dicenda in DIVINI sui NOMINIS SANCTISSIMI gloriam & Reipublicæ Literaria vergant emolumentum. Amen!*

## CLASSIS. I.

*PRIORUM duorum*, quæ jure *CONCILIA OECUMENICA* nuncupamus.

§. 9. Primum fuisse *inter Ecclesiastica Conciliorum* œcumenicorū illud statuere præsumit *Erasmus Sarcerius*, *Annæ montanus*, quod *Cornelius Romæ* olim convocavit propter *Novatianam hæresin*. Ut prodit *in Methodo sua novâ Sarceriana, Loc. de Conciliis. pap. 1078.* Sed hæc opinio, veluti à sententia receptâ (ne dicam à verò) remotior, nullos, quod ego sciam, ad stipulatores habet. *NICÆNO I.* enim ad unum omnes, quod & ipse *Sarcerius d. loc.* omnium celeberrimum & frequentissimum Concilium fuisse inficias ire adeò non audet, ut hoc apertè & ingenuè confite-



atur, *palmarium*, *primarium* vé inter Oecumenica concedunt locum. Quo de nunc *primum* etiam attinet dicere.

## CLASSIS I<sup>mæ</sup> DIATRIBE. I.

De

### CONSESSU NICÆNO.

§. 10. Equidem NICÆNUM à loco dicitur, quod *Nicæa* in Bithynia celebratum est. Euseb. *Lib. 10. Histor. Eccles. cap. 1. fol. m. 218.*

§. 11. De *Tempore*, quo peractum sit, mirè variant sententijs suis Scriptores. Indictam vult hanc synodum à Constantino Magno Imper. Theodor. Zvingerus Ao. Christi *tricentesimo vigesimo*, Imperij Constantin. Ao. *decimo septimo*, die *vigesimâ* Maii, eamque durâsse scribit *per triennium*. Theatr. Vit. Human. *Volum. 27. lib. 3. fol. 4156.* Josephus Scaliger existimat, Annum Alexandræum Syro Macedonum esse *primum annum* Concessus Nicæni, illumque cæpisse Anno CH. 324. Calend. Octobr. quo orditur Annus Antiochenus, anno 4. Olymp. 275. Anno Constantini Imper. 18. *in eunte*, dimissum autem fuisse post conconvocationem anno tertio currente, Anno scilicet Alexandræo 638. *Lib. 5. de Emendation. temporum §. de Concessu Nicæno. pag. 507.* Idem statuisse Bellarminus creditur, Leg. Brochman. *Tom. 2. System. Theolog. artic. 29. c. 6. sect. 1. pag. 854. b.* Alij inchoatum esse arbitrantur An. DN. 327. & finitum anno 330. Quidam assignant Concilio eidem annum illum *precedentem* CH. 326. Cæteri Synodum collocant *in annum* CH. 325. Et huic sententiæ permulti subscribunt: Neque abs re quidem. Duplicem enim CONCILIUM NICÆNUM famigeratissimum *notam* habet, quæ nos de eo tempore faciunt certiores. Alteram *annorum Alexandri: Alteram Consulatum*. Quod ex sequenti manifestò liquet inscriptione; Κανόνες τῶν τετρακοσίων δέκα ἢ ὀκτὼ αἰγίων πατέρων, τῶν ἐν Νικαία συνελθόντων ἐν ὑπατείᾳ ΠΑΤΡΙΝΟΥ, καὶ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ τῶν λαμπροτάτων. Ἐκ 85 χλ'ς ἀπὸ Ἀλεξανδρου. Ἐν μηνὶ Λεσίῳ ἐννεακαιδεκάτῃ. Πρὸ δεκατῶν καλανδῶν Ἰσλίων. CANONES. CCCXVIII.

SAN-



SANCTORUM PATRUM, QUI NICÆÆ CONVENERANT. COSS. PAULINO ET JULIANO, Clarissimo ANNO ALEXANDRI DCXXXVI. DIE XIX. MENSIS DESII, ANTE XIII. CALENDAS JULIAS. Adnotante Wilhelmo Langio, *Lib. 1. de Annis Christi cap. 1. pag. 2.* Testatur & Socrates, inchoatum esse CONCILIUM NICÆNUM, PAULINO & JULIANO COSS. *Lib. 1. Histor. Ecclesiastic. cap. 12.* Consulatus autem horum & Annus Constantini vigesimus concurrunt, quod tempus probè convenit cum anno Christi vulgari 325. ut Onuphrius remonstrat.

§. 12. Tempus *Synodi*, inquit Nicephorus, *sicuti invenimus, in Mensis Maii undecimam diem, indictionem vigesimam tertiam, & Consulatum PAULINI & JULIANI incidit, qui annus sexcentus trigessimus sextus ab ALEXANDRI MACEDONIS regno fuit, vigesimus verò IMPERII CONSTANTINI, ex quo rerum in Britannia potiri capit, tertius decimus porro, ex quo ad Byzantium venit. SYNODUS verò ipsa NICÆÆ annis tribus & paulò longius est acta. Lib. 8. Histor. Eccles. cap. 26. fol. 342.* Hunc sequi videntur, qui Synodum Nicænam *triennium* durasse statuunt, Didac. Covarruvias, Episcopus Segobienf. *Lib. 4. variar. resolution. cap. 15. Tom. 2. oper. pag. 329.* & Genebrardus *Chronolog. l. 3. an. CH. 338. pag. 416.* Notat Scaligerum propterea & Covarruviam Cæsar Baronius. *Tom. 3. Annal. ad annum CHR. 325. sect. 6.* referens, Incertum Authorem apud Metaphrastem *Tom. 6.* Aloysi Lypomanni profiteri, perdurasse Concilium Nicænum *sex etiam menses ultra triennium.* Quid autem, si hic incertitudine suâ falleret, aut falleretur?

§. 13. Romanenses sub SYLVESTRO Papâ ( Quo de legantur Blondus & Platina *in Vit. Pontificum. Conf. Alberti Crantzii Metropol. seu, Histor. Ecclesiastic. lib. 2. cap. 1. fol. 39. B.* ) Concilium illud celeberrimum habitum fuisse strenuè contendunt. Vid. Polydor. Vergil. *lib. 8. de Inventor. rerum cap. 5. fol. 473.* Bellarmin. *lib. 1. de Concil. cap. 1.* Barthol. Caranz. *Summ. Concilior. pag. 59.* Qua de re disputat contra Pontificios Guilielm. Whitakerus, Anglo-Britannus Lancastrensis. *Tom. 1. Oper. Disp. de Sac. Script. Controv. 3. Quest.*



3. *Quest. 1. cap. 2. de Concil. definition. & distrib. fol. 572. sq.* Nos, inquit, sub JULIO habitum fuisse dicimus, qui paucos tantum menses illam sedem tenuit proxime post Sylvestrum. Senex admodum ipse fuit, ac propterea non potuit ad Concilium venire, sed misit Vitum & Vincentium, Presbyteros suos. Sic scribit Sozomenus lib. 1. cap. 17. Sic Athanasius, qui eidem Concilio interfuit. *Apolog. 2.* Sic Beda in *Chronicis*. Sic Nicephorus lib. 8. c. 14. Cujus hæc ibi, fol. m. 325.) leguntur verba; *Apostolicas Sedes tum tenuere, Alexandria ad Lacum Mareoticum sita Alexander: Antiochiæ ad Orontem Ecclesia jam tum Eustathio commissa fuerat, Philogoniò non ita pridem ad DEUM receptò & ad meliorem vitam translato. Hunc Eustathium invitum admodum & reluctantem, vi plurimâ allatâ Provinciales Episcopi, Sacerdotes, Communisq; DOMINI populus ex Berberia ad eum thronum pertraxerunt. Hierosolymis Episcopatum gesit, sub respondens nomini, MACARIUS. ROMÆ JULIUS. CONSTANTINOPOLI ALEXANDER. Et ROMANUS ANTISTES, propter etatem decrepitam: CONSTANTINOPOLITANUS verò propter multam imbecillitatem, in Sedibus suis remansere, sed eorum nomine bini Presbyteri missi sunt, à JULIO quidem Vitus & Vincentius, ab Alexandro autem duo alij, & vitâ & eruditione plurimum excellentes. Habebant hi ab illis mandatum & cautionem, ut in Conventu locum illum obtinerent, & quod ibi ritè atq; ordine actum, decretumq; esset, comprobarent. Sic & Julium interfuisse Synodo Germanus, Patriarcha Byzantinus, Lib. de Synodis Msc. tradit apud Joann. Seldenum, in *Eutychie Originib. Comm. pag. 89.* Nec aliter sentit Nicetas Choniata, lib. 5. *Thesaur. cap. 6. pag. 444.* Res tamen omni haud caret dubio: Si enim Synodus Nicæna annis tribus & paulò longius est acta, quod Nicephorus, loco antea citato & cum eo alij affirmaverant, Julius verò Papa paucos tantum menses, secundum assercionem Whitakeri, proxime post Sylvestrum, Sedem illam Romanam tenuit, quomodo Synodus illa triennis sub JULIO haberi potuit?*

§. 14. Platina in *Sylvestro* Synodum illam sub SYLVESTRUM,

in



*in Agathone* autem sub JULIUM collocat, de eo ambiguus. Edit. Colon. *de vitis Pontificum*. Sic quoque Scriptor Græcus, Synodi Chalcedonensis coætaneus, *ἀνέκδοτῶν* in *Collectione & Expositione suâ Synodorum*, quem citat Joannes Seldenus, *in Com. Eutych. Origin. pag. 89.* SYLVESTRUM & JULIUM inter Illustriores Synodi illius viros commemorat. Et Photius *lib. de 7. Synod.* Concilium Nicænum partim *sub Sylvestro*, partim *sub Julio*, Pontificibus, celebratum esse eâ ratione permotus scribit, quem verò propterea notat C. Baronius; *At, inquit, quare non sub MARCO etiam, qui medius intercessit inter Sylvestrum & Julium?* Quicquid verò ejus rei sit, litem hanc non facimus nostram, sed progredimur ad alia huc pertinentia.

§. 15. Convocavit illud Concilium Nicænum Imperator CONSTANTINUS MAGNUS *contrà Arium, Presbyterum Alexandrinum, Niceph. Lib. 7, Hist. Eccl. cap. 5.* qui cum suis complicibus, *Aithale presbytero, Euzoio diacono, & alijs ejusdem Cleri*, divinitatem FILII DEI negabat. Tradunt Arium illum *Libyn* esse genere. Epiphanio scriptore *Lib. 2. cont. Hæreses. Tom. 2. Oper. Hæres. 69. m. fol. 351.* Presbyter quidam, *inquit Eusebius, Lib. 10. Hist. Eccl. cap. 1. fol. m. 217.* apud Alexandriam; *Arius* nomine, vir specie & formâ magis quam virtute religiosus, sed gloriæ, laudisque & novitatis improbè cupidus, prava quædam *de fide Christi* proferre & *quæ antea in quæstionem nunquam venerant*, cœpit, *abscidere ac separare ab illâ æternâ & ineffabili DEi Patris substantiâ vel naturâ ausus fuit.*

§. 16. Hypotheses Arii heterodoxas enumerant Magdeburgenses, *Centur. 4. cap. 5. de Hæres. col. 319. sq.* quas vide sis refutatas *ibidem & reliquas. Centur. 5. cap. 5. col. 559. sq.* Edit. Basil.

§. 17. Addiderunt Ario furenti animum quidam Episcopi alii & Doctores, quos *subtiles & argute quæstiones* delectarunt, ut Ruffinus, *lib. 1. cap. 2.* & Nicephorus. *lib. 7. Histor. Eccl. c. 5. fol. 317.* scribunt. *Sanè quidem, inquit hic, permultos ad novas ejus dogmatis res pertraxit Arius, & ex parvi igniculi scintillâ ingens est & altum*

B

exor.



*exortum incendium.* Ab Alexandria enim doctrina hæc progressa, Ægyptum, Lybiam & Thebaidem superiorem percurrit, mox etiam ad alias Provincias & urbes pervenit.

§. 18. Porrò cum Ario sentiebant in Alexandrina Parœcia Aithalas, Achilles, Carponas, Sarmates, & alter Arius, Presbyteri, & Euzoius, Macarius, Julius, Menas & Helladius, diaconi, multam quoque populi partem secum trahentes.

§. 19. Tutatos esse & Arii sententiam Socrates scribit *lib. 1. cap. 6.* Eusebiũ Nicodemensem, Theonidẽ, Episcopum Nicææ, & Marẽ Chalcedonensem, quibus *Lib. 2. cap. 12.* adnumerat Theodorum Heraclia, Thiaria, Ursatium Singidonensem Superioris Mysiæ, & Valentem Murforum, Pannoniæ superioris Episcopum, item Narcisum Cilicem & Marcum Syrum. Theodoretus *lib. 1. cap. 7.* addit Menophantum Ephesium & Patrophilum Scytopolitanum. Et *Lib. 2. cap. 23.* ex Athanasio Demophilum recitat, & Placitum Antiochenum Episcopum, Aëtium & Eunomium.

§. 20. Ex professo Arii opinionem amplexos esse commemorat Nicephorus *Lib. 8. cap. 21.* Leontium Antiochenum, Antonium, Tarfi Sicilia Antistitem, Numenium, Alexandrum, Asterium Cappadocem, Eudoxium & alii, qui ab ipso ARRIANI appellati sunt, ut Epiphanius *Lib. 2. contra Hæreses. Tom. 2. oper. Hæresi 69. contra Ariomanitas. fol. 351.* Et Philastrius. *in Catalogo Hæres. n. 66. pag. 28.* perhibent.

§. 21. Nonnullis, qui rem altiùs repetunt, scaturigo Arianismi videtur extitisse in Origine Adamantino. Legatur Hieronymus ad Pamachium & Oceanum. Horrendam, Epiphanio animadvertente, opinionem Origenes in ipsam DEitatem impingit: Ex hoc enim & Arius occasiones accepit, & inæqualitatem docentes, deinceps sequuti, Anomoëiq; appellati, & alii quidam. Quod Zonaras de Constantino agens disertè affirmat; PRIMUS hujus hæresis Autor ORIGENES extitit: Is enim primus illum DEI Filium conditum & à naturâ Paternâ diversum esse, putavit. Conf. Photii *Biblioth. n. 8.*

§. 22. Sunt tamen, qui dicunt, contentionis hujus alium Originistam



ginistam seu Autorem fuisse, *Alexandrum* scilicet, *Baucalim* cognomine, qui id nominis adeptus fuerat *ex pondere supercrescentis carnis*, in dorso ejus collecto, *testacei vasis forma*, quod Alexandrini vernaculo sermone *Bauculam* appellare solent. Hunc, inquam, *Baucalim*, secundas in Ministerio sacro ferentem, disensionis causam extitisse putant. Unde postea inter Arium & Alexandrum contentio commota & ἡ ὁμοούσιος sive *consubstantialis* promulgatio exorta sit. Quod namque Beucalis prælatum sibi honore Arium ægrè ferret, novationem dogmatis istius illi adscripsit. Nicephor. lib. 7. *Hist. Eccl. cap. 5. fol. 313.*

§. 23. Epiphanius prolixum Arii Symbolum, quod scriptum ab illo ad Alexandrum ex Nicodemiâ, literis excepit. Athanasius in *Disput. cont. Arrium*, ejus hanc de Trinitate recitat fidem; Credo in unum DEUM æternum, & Filium Ejus, quem ante secula creavit ut Deus, filiumque sibi fecit. Et quæcunque habet Filius, ea cum non haberet, accepit à Deo. Credoque in Spiritum S. à Filio genitum. Similia enarrat Haymo Lib. 9. *Hist. Eccl. cap. 1. pag. 158.*

§. 24. Falsam Arii de existentiâ Christi opinionem recenset & refutat Hilarius, Pictavorum Episcopus, Tuba illa, ut ait Hieronymus, Latini Sermonis. Lib. 1. *de Trinitate. fol. m. s. oper. col. 2. F.* Nonnullos quidem Arrianorum Christo divinitatis eminentiam attribuere, veritatem autem adimere, Lib. *adversus Auxentium Mediolanensem*, remonstrat. *col. 311. sq. oper.* Et Patrem esse solitarii docentes, ne vel Filius intelligatur, reprehendit & objurgat. Lib. 6. *de Trinit. col. 55. F.* Extat & ejusdem Hilarii præclarus liber contra Arrianos scriptus. *col. 311. sq. oper.* A quibus demum fædum Arii dogma resuscitatum sit, Nicolaus Faber lineis deduxit longioribus ex Hilarii *Fragmentis Oper. Historic.* in præfatione ad Jacob. Thuanum Senatûs Parisiensis Præsidem. Vid. *col. 365. oper. Hilar. C.* Quo remittuntur alacriores rei istius indagatores. Nos sine ulteriori digressionem NICÆAM repetimus.

§. 25. Aderant tunc in Causâ Arii NICÆÆ congregati bis mille quadraginta octo Episcopi, ex quibus Imperator selegit 318. præcipuos,



qui exposuerunt fidem sanctam catholicam, & damnauerunt Arium cum suis Sociis. Josephus Ægyptius, qui in *Bibliothecâ Oxoniensi* extat, hac de re apud Seldenum, *Commentar. in Eutychii Originis*, Arabico Idiome utens, ita, ut inde translatum est, diserit; *Et convenerunt ex iis in Civitatem Nicænam bis mille quadraginta octo Episcopi.* Et contigit Anno *sexcentesimo trigesimo sexto* ærae Alexandrinæ, quæ fuit annus *trecentessimus septuagesimus tertius* ærae Antiochenæ, *nono die mensis Haziran.* Et ita quoque Mahumedanus Scriptor, ISMAEL IBN ALI ait; *Exeunte anno vigesimo Constantini Augusti, congregati sunt Episcopi bis mille quadraginta Octo (2048.)* Tunc selegit ex illis *318. Episcopos*, & anathemate percussit Arium. Conf. Wilhelm. Langii *lib. 1. de annis Christi, pag. 101. & p. 102.*

§. 26. Hæresi Arianâ ita demum unanimi Episcoporum illorum consensu damnatâ, SYMBOLUM NICÆNUM conditum est, sed usque ad illa saltem verba: *ET IN SPIRITUM SANCTUM.* Nam quia Arius cum suis Complicibus non tam divinitatem SPIRITUS Sancti, quàm FILII Salvatoris oppugnabat, Confessioni de FILIO nihil prætereâ adjecerunt.

§. 27. SYMBOLUM, in NICÆA SYNODO confectum, recitat Socrates. *Lib. 1. cap. 5.* Habetur & apud Theodoretum *lib. 1. cap. 12.* Recitat idem Athanasius *in Epist. ad Jovin.* De hoc Symbolo, fideque Nicææ confirmatâ consulendi S. Hilarius, Pictav. Episcop. *Lib. de Synodis fidei catholicæ contra Arianos & prævaricatores Arianis acquiescentes. Col. m. 318. sq.* Et Fragment. *col. 415. Oper. Basilii Magni fol. 419. oper. & fol. m. 433.* Gelasius Cyzicenus *part. 2. cap. 27. & p. 3. cap. 26.* Casparus Cruciger *in Enarration. Symbol. hujus. Nic. cum præfatione Philip. Melanthonis Witebergæ imp. Ao. 1550.* Gerhard. Joan. Vosius *in Disertation. de Symbolis.* Confer. Nicolai Selnecceri *Exegesin Symbolorum. pag. 1. pag. 27. 28. sq.*

§. 28. Constituti sunt & CANONES in Synodo Nicæna, quos ita insinuat Theodoretus *lib. 1. cap. 8.* Episcopi rursus in Concilium con-



convenientes, de administratione Ecclesiasticâ LEGES, quas vocant CANONES, conscripsere. Sic & Sozomenus *lib. 1. cap. 22.* Concilium verò, *inquit*, ad mores eorum, qui in Ecclesiis ætatem degunt, ritè instruendos omni curâ & cogitatione incumbens LEGES, quas vocant *Canones*, sancivit.

§. 29. Quot & quinam Canones istius Synodi fuerint, non admodum certò constat. *Viginti* quidè habentur in *Tomis Conciliorum*. Quos & Tilius edidit *cum Commentariis* Theod. Balsamonis, Patriarch. Antiochen. & Nomocan. Photii Patriarch. Constant. Edita Eorundem triplex versio, in qua multa occurrit diversitas, à Dominic. Nicolino *Tom. 1. Concil. imp. Venet.* Barth. Caranza Athanasium Alexandrinum quidem *LXX. Capitula* à Concilio Nicæno decreta tradidisse scribit, *viginti* tamen *Canones* tantummodò habere Ecclesiam Romanam *ex d. 16. c. viginti*, probat. In *Summ. Conciliorum. pag. 63.* quos deinceps recitat. Alfonsus Pisanus autem in *Actis Concilii Nicæni à se collectis lib. 3.* ex Isidoro & aliis testimoniis, *plures fuisse*, conatur ostendere.

§. 30. CANONES Nicænae Synodi ARABICOS, quos Baptista Romanus Presbyter Alexandriae à Patriarchæ ibi Codice MS. descriptos, illuc à Pio QUARTO missus ad invitandum Patriarcham ad Concilium Tridentinum, secum Romam attulit, redux non solum, auxilio Joannis Senati, Mercatoris Alexandrini, Linguam Arabicam probè callentis, Latinè vertit, & tam Alphonso Pisano, quàm Francisco Turriano typis edendos communicavit: Sed habentur etiam multò plures quàm viginti ex illorum editionibus in *Tomis Conciliorum*, à Nicolino, *Tom. 1. cap. 41. pag. 554. & p. 584.* Et à L. Severino Biniò *Tom. 1. Concilior. fol. 336. & fol. 358. edit. Colon. Ao. 1618.* Scilicet ex Codice Arabico illo, secundum exemplar, quod Romam sub Pio IV. ex Alexandria Egypti allatum fuit, *Octuaginta* promunt *Canones*. Totidem ex alio Arabico, Bibliothecæ Marcelli II. profert Fr. Turrianus. Ex Codice Arabico hæc notat Joan. Seldenus, *lib. 2. de Synedriis veterum Hebræorum. cap. 4. pag. 182.* Liber Canonum Concilii trecentorum



Et octodecim, quod primum erat Generalium seu Magnorum, congregatum in Arium Nicææ, jussu CONSTANTINI Imperatoris, presentibus ibi STILVESTRO Patriarcho Romano, & ALEXANDRO, Patriarchâ Alexandria. Et paulo post; Tres autem præterea fuisse etiam heic dicitur Actorum illius Concilii libros. Primum, quamplurimorum Canonum. Secundum Canonum viginti. Tertium, de Literis, aliisque rebus Imperatoris ad Concilium illud spectantibus. Proximè verò subjunguntur Canones viginti, Græcis illis & Latinis notissimis, satis consoni. Subscribitur etiam ibi finis viginti Canonum illorum ut Nicænorum. Adjicitur statim; Esse insuper Octoginta quatuor canones ejusdem Concilii, sed ita, ut priores illorum viginti non multum à viginti seorsim ante scriptis discrepent, sed interim discrepent, quod remonstrat Seldenus loco sup. laudato pag. 183. Tot autem Canones omnem Antiquitatem ignorasse non dubitat affirmare Magn. Dorscheus in Exercitation. ad Concil. Nicænum. I. diatyposin. Sect. 2. §. 13. pag. 81. Videri possunt insuper, quæ disserit, Johan Reinoldus Tom. 1. de Libr. Apocryph. pag. 133. Et Rob. Coccus Cens. Lib. Apocryph. pag. 241.

§. 31. Sicut autem hoc Concilium Ecclesiasticum primum & antiquissimum inter Oecumenica: Ita summæ semper authoritatis in Ecclesiâ fuit, quod ex tam concordi Episcoporum illorum Confessione & fide quàm optimè discatur, non tantum, quid de DIVINITATE FILII DEI ab antiquo & toto Orbe creditum sit, antequam Arius cum suis exoriretur, sed etiam pro qua fide ipsa Confessorum & Martyrum Ecclesia tot seculis decertarit. Non pauci enim in illa Synodo adfuerunt Confessorum & Martyrum, ex quibus noti sunt celebriores Potamo Heracleæ in Ægypto, Paphnutius Thebaidis ibidem Superioris, Spyridion Trimythuntis in Cypro, Jacobus Antiochia Mygdonia seu Nisibis, & Amphion Epiphania, in Cilicia Episcopi. Omnes hi sub Maximino pro fide depugnârant, à quo etiam Potamo, Paphnutius & Spyridion uno oculo, & duo posteriores nêvis poplitis multati sunt, Paulus item Neocesaria Euphratesiæ Episcopus à Licinio acerbè excruciat, tantâ



tantâ pietate & fide cuncti, ut Paphnutius, Jacobus & Spyridion *miraculis* quoque clarerent.

§. 32. Theodoretus magnam turbam Martyrum ibi congregatam fuisse scribit; Ἀπαξ ἀπλῶς ἦν ἰδεῖν δῆμον μαρτύρων κατ' αὐτὸν συνηθροισμένων, ut verbo dicam, videbant *turbam Martyrum* in unum collectam. Lib. 1. *Hist. Eccl. cap. 7.* Interfuit etiam Athanasius, sed in Comitatu ALEXANDRI Episcopi Alexandrini, cum ipse Diaconus adhuc esset, juxta assertum Dr. Horneii, *Disput. Theologic. Disp. 2. Sect. 4. Thes. 190. pag. 225.* Habet Johan. Seldenus *Com. in Orig. Eutychii. pag. 90. sq.* ex Msc. Arabico nomina personarum & locorum Concilii Nicæni adnotata, multum à scriptionibus communibus discrepantia, quem lege sis:

§. 33. Indictæ Synodo Nicænæ causam dabat insuper haud minimam disensio Ecclesiarum, ORIENTALIS nempe & OCCIDENTALIS, *de tempore Paschatis Festum celebrandi*, quæ inde à superiori seculo orbem Christianum vexâset, postquam doctrina de Libertate Ecclesiæ & adiaphoris obscurior fieri incipiebat, mutatis per quorundam seu negligentiam, seu imperitiam, ceremoniis simplicibus, ut Irenæus innuit apud Eusebium. Lib. 5. *Histor. Eccl. cap. 26.*

§. 34. Quorundam movit animos diversitas, cum Johannes & Philippus in ASIA celebrarent Pascha *secundum ritum Judæorum antiquum*, decimâ quartâ videlicet lunâ: Alii autem Apostoli & Doctores cum Ecclesiâ Orientali observarent *diem Dominicum* proximè sequentem Paschatis ergò peragendi. Hinc concitatae sunt concertationes, quæ quasi ex cinere emicantes, demum in magnum incendium eruperunt & manifestum reddiderunt Schisma, ut alibi fusiùs enarravimus.

§. 35. Neque Schisma illud per tot Seculi Secundi congressus sopiri potuit, sed duravit usque ad Concilium Oecumenicum Nicænum, in quo tandem traditionem Asiaticam rejectam legimus, & imperatum esse, ut sublatâ discrepantiâ Universæ Ecclesiæ, Orientales pariter & Occidentales convenirent *die Dominico*, inveniendi ritûs causâ, qui Paschati Festo Christianorum convenientis-

simus



simus videbatur. Atque ita, quod antea ratio non persuasit, id dies demum perfecit, ut eleganter scribit Nicephorus Lib. 4. *Histor. Eccles. cap. 39. fol. m. 208. B.*

§. 36. Quàm magna autem vel ipsa Concilii Nicæni fuerit celebritas, satis superque declarant asserpta S. Patrum. Leg. Athanasii Epist. de Synodis Arimini & Seleuci, *Tom. 1. Oper. fol. 678. Epistol. ad Africanos. pag. 718. sq. & Disp. contra Arium. in Nic. Synod. fol. 115. Et Orat. 1. Contr. Eund. pag. 133. & Orat. 2. pag. 139. Et in decret. Synod. Nic. Contr. Ar. pag. 403. & Epistol. ad Antiochen- ses. pag. 749. Et Oratio de divinitate Christi. pag. 337. Et Epistol. ad Epictetum, Episcop. Corinth. pag. 453. & alibi passim. S. Hilarii Lib. contra Constantium Augustum, fol. 283. Oper. & Lib. de Synod. advers. Arrianos. fol. 332.*

§. 37. Commendant præterea literis Synodum Nicænam Com- pilatores *Histor. Eccles. Jena imp. Ao. 1565. Centur. 4. fol. 798. D. Sa- lomo Gesnerus, Lib. 2. de Conciliis. pag. 114. D. Balth. Mentzerus in Exeges. Augustan. Confession. art. 1. pag. 27. Legi etiam possunt Theodor. Zwinger. Volum. 27. Theatr. Histor. Lib. 3. fol. 4156. Polydor. Vergilius Lib. 8. de Inventorib. rerum. cap. 5. pag. m. 473. Jo- an. Ludovicus Gottfried Chronic. Monarch. part. 5. fol. 390. &c.*

## CLASS. I<sup>mæ</sup> DIATRIBE. II.

### De CONSESSU CONSTANTINOPOLITANO PRIMO.

§. 38. Atque nunc succedit CONCILIUM OECUMENI- CUM SECUNDUM, quod est CONSTANTINOPOLITANUM PRIMUM, An- no Christi 381. auspiciis quidem THEODOSII Imper. habitum, ad quod per plures Episcopos convocavit, in confirmationem ulteri- orem Nicænae Confessionis, & ut partim SPIRITUS Sancti divinita- tem contra Macedonium assererent, partim de Episcopatu Const- antino-



*tinopolitane Sedis* consulerent in publicum. *Brevi deinde Imperator*, inquit Sozomenus. *Lib. 7. Hist. Eccl. cap. 7.* Concilium Episcoporum *sibi consentientium convocavit. &c.* Imperator *nullâ morâ interpositâ*, quæ Socratis est relatio, *Concilium Episcoporum, ipsius fidem amplectentium, convocat, quò tum fides Concilii Nicæni corroboraretur, tum Constantinopoli designaretur Episcopus. Lib. 5. cap. 8.* Quod & confirmat Theodoretus *lib. 5. cap. 7.* Idem probare videtur Epistola Synodalis ad Episcopos Occidentales Romæ congregatos, apud eund. Theodoretum. *lib. 5. cap. 8. & 9. Conf. Histor. Eccl. Tripartit. Lib. IX. fol. m. 550. D. sq.* Nec aliud infert Joannis Chrysoptomi Oratio in laudem Meletii habita.

§. 39. Juxtâ Prosperi *Chronicon* quidem SYNODUS illa CONSTANTINOPOLITANA videtur aliquibus anno CH. trecentesimo octuagesimo tertio, Majo mense, celebrata fuisse, ex allegatione Magdeburgensium *Centur. 4. cap. 9. de Synodis. colum. m. 848. n. 10.* Adscriptos verò habet *Coss. EUCHERIUM & EVAGRIUM*, quod ipse Prosper haud dissimilat, quia super Canones cum annis ita infertur: *Κανόνες τῶν ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συνεληθόντων, ἐν Ἰπατεία Φλαβίου Εὐχερίου καὶ Φλαβίου Ἐταγρίου τῶν λαμπροτάτων. πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν ἰσλίων.* Canones Sanctorum Patrum CONSTANTINOPOLI congregatorum, *Coss. FL. EUCHERIO & FL. EVAGRIO. CLARISS. ante VII. Idus JULIAS.* Ex quibus notis colligitur, Concilium illud CONSTANTINOPOLI habitum Anno CH. trecentesimo octuagesimo primo. Vid. Wilhel. Lang. *Lib. 1. de Annis Christi pag. 2.* Dionysii Petavii *Rational. tempor. lib. 6. part. 1. cap. 9. pag. 347.*

§. 40. Coactum est Concilium, ut intelleximus ex *Histor. Eccl. sup. citat. contra Macedonium*, Episcopum Constantinopolitanum, ab Arrianis in illam Cathedram promotum, qui FILIUM DEI Patri non tam ὁμοούσιον quàm ὁμοιόσιον esse voluit, inserto unico *τῷ* Arrianos & Catholicos facilè conciliari posse arbitrans, negavit insuper *divinitatem Spiritus Sancti*; Non esse illum DEUM, dicendo, sed *DEI ministrum & creaturam à DEO conditum*, cujus portunculæ quædam singulis creaturis insit. C §. 41. Ma-



§. 41. Macedonius ille, in quem incidimus, acerrimus fuit persecutor *Homoufianorum*, veluti Socrates indicat, *Lib. 2. Hist. Eccl. cap. 38.* In quibusdam ab Arianis dissentire cœpit, *Creaturam* appellare nolens, quem *filium Dei* S. Scriptura nominat, quam ob rem ab ipsis ejectus est. Ex eo igitur injuriam ægrè ferens, novæ sectæ Author extitit & Deitatem Spiritus Sancti infestavit, Socrate, *Lib. 4. cap. 45.* & Theodoretto, *Lib. 2. cap. 6.* testibus.

§. 42. Professi eandem unà cum illo hæresin videntur Basilius Ancyranus, Sylvanus Tarsensis, Sophronius Pompejopolis, Pasi-nicus Zenensis, Leontius Comanensis, Callicrates Claudiopoli-tanus, Theophilus Castabalensis, cæteri. Sozomen. *Lib. 6. cap. 4.* Socrates *lib. 3. cap. 25.* Item, Eustatius, Sebastix Episcopus. Sozo-men. *lib. eod. 6. cap. 11.* Habet & Carterium, Macedoniæ Sectæ an-tesignanum, Nicephorus *lib. 12. cap. 30.*

§. 43. Sectatores ejusdem hæresis *ab ipso Macedonio* communi-ter *Macedoniani* dicuntur. Aliàs & *Marathonii* appellantur, quod nomen habent à *Marathonio* Presbytero, qui semina illius hærese-os vel ante Macedonium sparserat, ceu & Hieronymus *in Chroni-co* ait, exortam esse hanc hæresin circiter annum DN. *trecentesi-mum quadragesimum quintum.* Dicti sunt præterea *Tropici*, quòd in exponenda S. Scripturâ *tropis* & figuris nimium inhærent. *Pneumatomachi* jure nuncupantur, quod adversus *Spiritus Sancti divinitatem* mordicùs pugnaverint.

§. 44. Ex simplici demum triplex facta est illa secta, vel pesti-fera illa bestia, *ut Eusebii eloquar verba*, quæ per Arium quasi de inferis extulerat caput, iubitò *triformis* apparuit. Per *Eunomianos* videlicet, qui dicunt, *per omnia dissimilem filium Patri*, quia nullo genere similis possit esse factura factori. Per *Arrianos*, deinceps qui dicunt, *similem* quidem posse dici *filium Patri*, sed *largitate gratiæ*, non *proprietae nature*, in quantū scilicet potest Creatori creatura conferri. Per *Macedonios* tandem, qui dicunt *similem* quidem *Filium per omnia Patri*, Sanctum verò Spiritum cum Patre & Filio nihil habere commune. *Lib. 10. Hist. Eccl. cap. 25. fol. 235.*

§. 45 In



§. 45. In eundem fere modum scribit & S. Epiphanius, quem audire nihil prohibet; *Divisa est, inquit, Arianorum congregatio in tres Ordines. Acacius enim Palaestinus Casarea Episcopus cum Meletio & Uranio Tyrio, & Eutychio Eleutheropolita, propter emulationem & odium adversus Cyrillum Hierosolymitanum, restitit Basilio & Georgio Laodicensi, & Sylvano Tarsensi, Eleusioq; Cyzici, ac Macedonio Constantinopolitæ, & Eustathio Sebastea, & Aniano Antiocheno. Tunc his confirmatis contra ipsum, idem Acacius se ipsum armavit, & multam turbam concitavit. Et inter se quidem ejusdem opinionis sententiam habuerunt. Quum autem unusquisque diversimodè confiteretur, inter se ad contentionem progressi ac fissi, in prædictos tres ordines divulsi sunt. Lib. 3. de Hæresib. Tom. 2. Oper. Hæres. 73. fol. 420.*

§. 46. Ut maturè noxiis istis atque hæresibus occurreretur, Constantinopoli tum convenerunt Episcopi Orthodoxi, qui fidem Nicænam profitebantur, numerò *centum quinquaginta*, inter quos fuerunt *Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Acholius Thesalonicensis*, aliiq; permulti. *Socrat. Lib. 5. cap. 8.* Etenim Theodoretus mentionem facit & aliorum, adfuisse scribens *Helladium, Basilii Magni* (qui paulò ante disceserat) *Succesorem, Gregorium Nazianzenum*, tunc temporis Episcopum Constantinopolitanum, *Gregorium Nysenum ac Petrum, Basilii fratres, Amphiloebium Lycaonicum, Optimum, Pistidorum Diodorum, Cilicum Episcopum, Eulogium Edesenum, Acacium, Isidorum, & Gelasium Casariensem Palaestinum. Lib. 5. cap. 8.* Addit his *Sozomenus Terentium, Tomæorum Episcopum, Martyrium Marcianopolitanum, Nectarium & Otrium Melitenensem. Lib. 7. Hist. Eccl. cap. 9.* Præsentem fuisse & *Hieronymum* quidam volunt, quem tunc aq; Nazianzenum degisse perhibent. Vid. *D. Horneii Disput. Theol. Disp. 2. de Interpr. Sac. Script. Sect. 4. Th. 191.* Plurima & aliorum nomina in *Tom. 1. Conciliorum* adnotata sunt.

§. 47. Heterodoxorum *Socrates triginta sex* numerat comparuisse,



ruisse, quibus, cum ipse hæresiarcha Macedonius audientiam, licet aliquoties vocaretur, contumaciter detrectaret, præfuit Eleusius Cyzicenus, Marciano Lampfaceno coadjutore. Vid. Magdeburgens. *Centur. 4. cap. 9. num. 30. col. 848.*

§. 48. SYMBOLUM peculiare non edidit SYNODUS Constantinopolitana, sed *confirmavit NICÆNUM*, atque contra Macedonium & Pneumatomachos, post illa verba: *ET IN SPIRITUM SANCTUM*, in majorem divinitatis Spiritûs Sancti confirmationem, hanc particulam utiliter addidit; *DOMINUM ET VIVIFICANTEM, QUI EX PATRE ET FILIO PROCEDIT, QUI CUM PATRE ET FILIO SIMUL ADORATUR ET GLORIFICATUR.*

§. 49. *DIVINITATEM* quippe, inquiunt S. Patres Concilii Constantinopolitani celebratissimi, in *Epistolâ Synodali missâ Occidentalibus, Damaso, Ambrosio, Brittonio, Valeriano, Acholio, & reliquis Episcopis tunc Romæ collectis*, apud Theodoretum, *Divinitatem quippe & virtutem*, atque substantiam unam PATRIS, & FILII & SPIRITUS SANCTI credimus, & *æqualem honorem, ac dignitatem, & imperium coeternum*, in TRIBUS PERFECTISSIMIS SUBSISTENTIIS, seu, TRIBUS PERFECTIS PERSONIS, ut neq<sup>3</sup> Sabellii languor habeat locum confusione subsistentiarum, aut peremptione proprietatum, neq<sup>3</sup> Eunomianorum & Arianorum, & *πνευμασιονάχων*, id est, SPIRITUI-Resistentium blasphemia prævaleat: Substantia videlicet secundum illos, aut natura, aut divinitate divisa, aut ut increata Consubstantiali & coeternæ Trinitati posterior aliqua vel creata, vel alterius substantia natura detur. Inhumanationis verò CHRISTI sermonem sine aliqua violatione servamus, neq<sup>3</sup> sine animâ, neq<sup>3</sup> sine mente, aut imperfectam carnis dispositionem suscipientes, sed totum scientes perfectum quidem ante secula existere DOMINI VERBUM, perfectum verò hominem in novissimis diebus propter nostram salutem factum. Igitur, quæ de fide à nobis apertè prædicantur, velut in Summa hæc esse noscuntur, de quibus amplius instrui poteritis, si & Tomum in Antiochiâ factum, à Synodo ibi constituta, dignemini legere & quid in CONSTANTINOPOLI anno superiori ab universali



veriali Synodo cognoscitur esse prolatum, in quibus latius fidem professi sumus, & contra novitates hæresew nuper exortas anathema ex scripto protulimus. Lib. IX. Histor. Eccl. Tripart. fol. m. 552.

§. 50. SEPTEM conditi sunt in illo Concilio Oecumenico CANONES, quorum primus Synodum confirmat Nicænam, & diversos condemnat hæreticos, ut Eunomianos seu Anomæos, & Arianos seu Eudoxianos, & Semi-Arianos sive Pneumatocbos, & Sabellianos, & Marcellianos, & Photinianos, & Apollinaristas. Canon Secundus statuit Primatibus, & Metropolitibus, & Episcopis suos limites secundum Sanctionem Nicænam, singulis in Diacesi sua, ut quilibet superiorum suam diacesin gubernet, nec ad alias accedat, qui imprimis notari meretur, ita sonans; EPISCOPI, qui extrâ diacesim sunt, AD ECCLESIAS, quæ extrâ terminos earum sunt, NON ACCEDANT, neq; confundant, & permisceant Ecclesias, secundum regulas constitutas. Et deinceps Tertius: Non invitati Episcopi ultrâ diacesim accedere non debent, super ordinandis aliquibus, vel quibuscunq; disponendis Ecclesiasticis, servatâ regulâ, quæ superscripta est, de unaquaq; diacesi, Manifestum namque est, quod per singulas quasq; Provincias Provincialis Synodus administrare & gubernare omnia debeat, secundum ea, quæ sunt in Nicæa definita. Huic accedit Quintus, de Ecclesiis in Barbaricis Gentibus constitutis. Concedit & hic Canon Episcopo Constantinopolitano secundum dignitatis gradum, quia CONSTANTINOPOLIS erat nova Roma. Confirmatum hoc est in Concilio Chalcedonensi Oecumenico Quarto, & in Concilio Constantinopolitano altero, & ab Imperatore Justiniano, Nov. Const. 131. c. 2. Sciendum tamen, inquit Timannus Gesfelius. part. 1. Histor. Eccles. pag. 496. Canonem ab Urbis Romæ Episcopo nunquã satis fuisse comprobatum, ut videre est in illa per Epistolas contentione inter LEONEM Magn. Romæ, & ANATOLIUM Constantinopolis, Episcopos, in Actis Concilii Chalcedonensis. Sic Cæsar Baronius, Annal. Tom. 4. ad an. 381. in eo vehementer sudat, ut istum Canonem non fuisse ab Ecclesiâ Romanâ receptum ostendat. Videri potest & Rob. Bellarminus Tom. 2. Controv. lib. 2. de Conciliis.



*cap. 8.* Et Coriolanus *in suâ Summâ.* Canon *Sextus* abrogat Maximo, Cynico Philosopho, Episcopatum, & eis, qui ab ipso in quolibet gradu Clerici ordinati fuere, dignitatem. *Septimus* proponit Symbolum à S. Patribus Synodi Constantinopolitanæ locupletatum, quod, quicquid est in Nicæno, continet, & quicquid appositum habet, id *δυνάμει* continetur in Nicæno, ac majoris solùm evidentia causâ postea adjunctum. Vid. Johan. Gerhard. Vossius *de Symbolis Disfertation. 3.*

§. 51. Extant septem illi Canones Synodi Constantinopolitanæ *in vulgato Codice Tili, & in Codicibus Mss.* Balsamonis & Zonara. Et in *Tomo 1.* Conciliorum Græcè & Latinè Pauli V. Pontificis Romani autoritate Romæ edit. an. 1608. Justelli. Codex verò Canonum vetus Ecclesiæ Romanæ, operâ Wendelstini editus Parisiis ad. 1609. tres illorum Canonum prætermisit, quos tamen Bartholomæus Caranza *in Summâ sua Conciliorum pag. 144. sq.* ex ordine recenset.

§. 52. Annotata sunt & Acta Gregorii Nazianzeni in Synodo Constantinopolitanâ, qui egregias *de S. S. Theologia* habuit orationes, ob quas in hunc usque diem *GREGORIUS THEOLOGUS* dicitur beneque audit. Multi hoc in Concilio id desiderant, quòd centum & quinquaginta illi Patres Gregorium, Theologum pietate & eruditione illustrem, si non abdicaverint, tamen dimiserint, & in ejus locum *mirabili fato* Nectarium, *Nobilem quidem* ex Senatorio Ordine, at parum rerum Theologicarum expertum & *indoctum* substituerint, qui, cum adhuc Catechumenus esset, in eodem Concilio baptizatus fuit. Ea de Causâ à Theodosio coacta est Synodus, ut Gregorium, qui Catholicam fidem Constantino- poli in tertium jam annum feliciter instaurabat (hactenus enim per XL. annos Arianos Episcopos, & inter eos Eusebium Nicodemensem & Macedonium, Hæresiarchas præcipuos habuerat) Episcopum in Cathedrâ illa collocaret, cum verò postea Episcopi Ægyptii ad Synodum venissent, & adventum suum eo in negotio non expectatum esse indignarentur, S. Gregorius, quò contenti-  
onem



onem præcideret, ultrò se Episcopatu abdicavit & in Capadociam secessit, cui Nectarius deinde successus fuit. Ita Magdeburgenses *Centur. 4. cap. 9. col. 849. n. 30.* Et Horneius *loc. sup. citato.*

§. 53. Invectus est graviter Gregorius in vitia Episcoporum & irregularitates seriò reprehendit. Demum habuit, cum ab Ægyptiis Maximum quendam Cynicum Apollinaristam substitutum intellexisset, præclaram Orationem, de *Cathedrà nunquam à se affectatâ*, simul ac de *Concordiâ Ecclesiasticâ*, de qua quædam Theodoretus habet excerpta, & eum dixisse narrat; *Ne quæso, Patres, admittatis aliquid, quod ad turbandam concordiam faciat, neq; unius alicujus injuriam mutuo vestro consensui obstare sinite. Ita enim & Ego gratisimâ atq; exoptatissimâ quiete fruor, eò vicissim receptus, unde huc veni, & vos, post triste ac molestissimum bellum, pacem desideratissimam habere poteritis. Nam quid absurdius esse possit, quàm declinatis hostium telis, ad mutuas incursiones & vulnera vos converti? Quid verò etiam inimicis vestris suavius contingere? Dispiciate ergò vobis virum aliquem laude dignum, eaq; intelligentiâ præditum, ut & committi eo tutò multitudo, & ab ipso institui rectè possit, Eiq; Episcopatum hunc decernite.*

§. 54. Hisce ita peractis Vir solitudinis amans *ad rura paterna* à nonnullis fertur secessisse & postea ulli alicui Concilio interesse consultò renuisse. Alii rem aliter narrant, quos nunc non moramur. Vid. Cæs. Baron. *ad An. Chr. 381.* Dionys. Petav. *Rational. Tempor. part. 1. lib. 6. c. 9. pag. 347.* Timan. Gesel. *part. 1. Hist. Sac. & Eccl. pag. 498.*

## CLASSIS. II.

### POSTERIORUM CONCILIORUM GENERALIUM.

§. 55. Confessibus priorum duorum Conciliorum, quæ alio nomine *plenaria* dicuntur, quòd totam representent Ecclesiam

siam



siam Christianam, *Niceni* videlicet & *Constantinopolitani primi*, per-  
spectis, ad reliquos Sanctor. Patrum, qui convenere ad salubri-  
ter tractandum, ut Gerson loquitur. *part. 1. de Eccl. potestate.* &  
ordinandum ea, quæ ad debitum Ecclesiæ regimen in fide & mo-  
ribus respiciunt, transimus.

## CLASSIS II<sup>dæ</sup> DIATRIBE. I.

De

### CONSESSU EPHESINO.

§. 56. THEODOSII Junioris siquidem autoritate in-  
dicta est & EPHESI Synodus Generalis, eaque *PRIOR*, quæ adscri-  
pta habet nomina COSS. FLAVII THEODOSII XIII. ET FLAVII VA-  
LENTINIANI III. AUGUST. PERPET. Observ. Wilhel. Lang. *Lib. 1. de*  
*ANNIS Christi pag. 2.* Ex asertione Dionysii Petavii, *part. 1. Rati-*  
*onal. lib. 6. cap. 15. pag. 375.* Anno Christi *Quadragesimo tri-*  
*gesimo primo*, quem sequi videtur L. Christian. Lang. *in Exam. 5*  
*Refutation. Des Scharffrunden Auges Georgii Landherrn / Thes.*  
*62.* Juxtâ Marianum verò anno Chr. *quadragesimo trigesimo*  
*secundo*, aut, quod volunt Prosper & Socrates *Lib. 7. c. 34.* anno  
Christi 434. Anno Imperii Theodosii octavo, ab Orbe condito  
(prout altius supputat Nicephorus loco mox citando) Anno *qua-*  
*ter millesimo, nongentesimo, decimo quinto.* Vel anno Chr. 435.  
secundum insinuationem Consensus Orthodoxi. *fol. 198. b.*

§. 57. Convenerunt ad Synodum Ephesinam *ducentis* plures E-  
piscopi, Cæteri morbis & ærumnis aliis pressi interesse Concilio  
haud potuerunt. Cælestinus, Romæ Episcopus, propter navi-  
gationis pericula, ut Nicephorus causam prodit, *Lib. 14. Hist-*  
*Eccl. cap. 34. fol. 747. B.* Synodum detrectavit, misit tamen Ephe-  
sum Legatos *Arcadium & Projectum*, Episcopos, & *Philippum* pres-  
byterum, si vera sunt, quæ tradit *dict. loc.* Petavius.

§. 58. Orientales statò die præcisè adesse haud potuerunt, quos  
multis



multis excusat Nicephorus *loc. cit. fol. 748. A.* Johannes Antiochenus Antistes, cum Orientalibus suis Episcopis, inquit, longè & jam post diem constitutum tardius affuit, non deditâ Ille operâ moratus, sed quòd tam celeriter Episcopos, qui sub eo essent, cogere non potuerit. Magnis enim locorum intervallis dititionis ejus Urbes distant ab eâ, quæ olim quidem Antiochia, nunc autem Theopolis dicta est. Duodecim namq; dierum itinere, & aliquo (μνημόνι πρὸς) præterea exiguo, homini expedito & succincto absunt. Tum autem Antiochia ipsa Epheso triginta dierum viâ maximè distat. &c.

§. 59. Liberatus, Archidiaconus Carthaginensis, commemorat *Breviar. sui capite 5.* Div. AUGUSTINUM quoque per literas ab IMPERATORE fuisse accersitum, sed morte præventum. Inde est, quòd affirmaverit D. Lutherus, Augustinum nulli Oecumenicarum Synodorum interfuisse. Tom. 7. *Jenens. German. fol. 223. b.* Fato enim anno CH. 430. dum Vandali Hipponem obsident, cujus Urbis fuerat Episcopus, totam siquidem Africam, exceptâ Carthagine, Città & Hippone, sibi subjecerant. Timan. Gesel. part. 1. *Hist. Eccl. pag. 565.* Augustinus, inquit Cario in *Chronico part. 2. lib. 3. pag. 116.* mortuus est anno ætatis suæ septuagesimo sexto, Anno CHristi, quadringentesimo tricesimo, regnantibus THEODOSIO SECUNDO & VALENTINIANO Tertio, obsidente urbem Hipponem Genserico, ubi Augustinus fuerat Episcopus annos quadraginta, inde usque ab initio Arcadii ferè ad finem Theodosii Secundi. Inter magna quidem certamina: Refutavit enim Manichæos, Donatistas & Pelagianos, & Scriptas refutationes posteritati utiles reliquit.

§. 60. Interfuit tamen AURELIUS AUGUSTINUS Concilio Milevitano, quod celebratum in Africa, seu potius in Numidia, in Urbe MILEVI, anno CHristi quadringentesimo secundo, juxtâ Martianum & alios, ARCADIO & HONORIO V. Consulibus Augustis, Arcadii Imperii anno quinto, quo tempore episcopatum Romæ INNOCENTIUS gessit. Hipponensis ille Episcopus, vir sanctitate atque doctrinâ ad miraculum maximus, totiusque Occidentis Lumen clarissimùm, consedit in Secretario Basilica, præsentibus Episcopis &

D

ad-



adstantibus diaconis, quorum Catalogum ostendit *Epistola Concilii Milevitani ad INNOCENTIUM*, qui & *Epistolis Augustini* inserta est, numero 92. Leg. Zonarae *Annales*. Et Hincmari *Epist.* 55. cap. 17. Damnantur à Concilio errores crassissimi Pelagii & Cælestii, quorum præcipuos recitat D. Gesner. in *Enarration. Histor. Concilior. pag. 318*. Adversus eos constituit SYNODUS nonnullos *Canones*, de quibus vid. *Tom. 1. Concil. Balsamonis in Collectione Canonum Carthaginensium*. Et Caranzæ *Summam Concilior. pag. 203*. Cum deinceps SYNODUS *Carthaginensis Sexta* celebrari cœpit Anno DNI. 418. aut secundum Martianum Scotum 419. aut juxta Prosperum *an. 420*. quam durasse scribunt *ultrâ sexennium*, congregatosque fuisse in eâ Episcopos *numerò ducentos & septendecim*, AUGUSTINUM *Præsidentem habuit*, Prosperum, Orosium, *Assesores*, ac multos alios præstantes ac viros celebres. D. Salom. Gesner. *Lib. 2. de Conciliis. pag. 327*. Johan. Georg. Sigwart. *Disp. 4. de Regimine Ecclesiastic. Disp. à D. Meisnero Collectar. pag. 407*. Misit Ecclesia Romana Legatos, Faustinum Episcopum, Philippum & Asellum, presbyteros. Barthol. Caranz. in *Summa Concilior. num. 105*. Et *Tom. 2. Concilior. per Lic. Severin. Binium edit. Colonia. fol. 743*. Et apud Petrum Crabbé *pag. 500*.

.61. *Causa convocationis verò Concilii Ephesini generalis hæresis fuit Nestorii, qui Antiochenus in locum Sifunnii Episcopus Constantinopolitanus Ao. CHR. 428. secundum Marcell. in Chron. ad an. CHR. 450. Sive anno 429. secundum Marianum, THEODOSSII Imper. quinto, juxta Hermannum Contractum anno DNI. 430. Aut secundum Prosperum an. CHR. 431. ordinatus, pestiferam de Christo incarnato hæresin vel Arianorum subinde non tantum vulgavit, sed & crassius extulit, & blasphemis auxit dogmatibus, B. MARIAM haud DEI Matrem seu Genetricem esse, sed hominis solummodò Christi adstruens, Christum verò Personâ constare duplici, ut Dionysius Petavius part. 1. Rationar. Tempor. Lib. 6. cap. 15. pag. 375. refert. DEITATEM VERBI ab assumpti hominis substantiâ separavit, atque ita ignarus fidei & expositionum Doctorum veterum,*



terum, venerandum & magnum, ut Cyrillus inquit in *Apologetico*, incarnationis Dominicæ mysterium funditus evertit, cum *CHRISTUM hominem conceptum atque formatum, & Postea deificatum*, neutiquam VERBUM carnem factum tradiderit, ceu Magdeburgenses notant. *Centur. 5. cap. 5. de Heres. col. 606. n. 40.*

§. 62. Etenim Nestorius in Lectione Veterum minus exercitatus, negatâ communicatione Idiomatum, *duas* in CHRISTO *personas esse* crasso insanivit errore. ALIUM dixit DEI, & alium MARIÆ Filium. Nec concedere voluit, *duas* in CHRISTO *naturas*, divinam & humanam, *personaliter* unitas esse, sed solummodò *accidentaliter*. Hinc FILIUM DEI se FILIO MARIÆ *variis modis* conjunxisse docuit, vel quidem *gratiâ inhabitante*, quemadmodum *Deus cum Sanctis unitur*, vel *conjunctione operationum*, quatenus FILIUS hominis sit *instrumentum* quasi *conjunctum*, per quod FILIUS DEI divinitatem suam exercuerit, vel *communicatione excellentiæ*, quatenus *honor divinus* FILIO DEI debitus, ob concomitantiam quandam *FILIO* etiam *hominis* coexhibeatur. CHRISTUM ergò non DEUM, sed *HOMINEM Θεοφόρον, DEIFERUM*, dixit. Leg. D. Leonhard. Hutter, LL. *Loc. de CHRISTO. cap. 2. membr. 1. fol. 131. sq.* Et Johan. Schröderi *Tractatus de Nestorianismo contra Josephum Grabium. pag. 6. p. 41. sq.* Ἐγὼ, sacrilegâ voce exclamavit, τὸν γενόμενον διμνηναῖον καὶ τεμνηναῖον ὡς ἂν θεὸν ὀνομάσαιμι. Ego illum *bimestrem & trimestrem* DEUM non appellaverim.

§. 63. Moverat & quæstionem de *MARIA Θεοτόκῳ*, multasque in *FILIUM DEI* evomuerat blasphemias. Perinde ac Anastasius, qui opinabatur, Dominum *merum esse hominem à Mariâ natum*, hoc propalam & apertè, verba aliquando in Ecclesiâ Constantinopolitana ad fidelem CHRISTI populum faciens, dicere ausus est: *MARIAM Θεοτόκον*, hoc est, *DEI genetricem* nemo vocato. Ut legere est apud Nicephorum Callistum, *Lib. 14. Hist. Eccl. cap. 32. fol. 744.* A. Maria enim, *ait*, homo fuit, ut autem ab homine DEUS *gignatur*, fieri non potest. Quam asertionem ut impiam & hæreticam LEO, Episcopus coarguit, ceu attestantur Socrates, *Lib. 7. cap. 32.* Et Evagrius. *Lib. 1. cap. 2.*



§. 64. Multoties crassissimè errasse & Nestorium ex subsequenti liquidò constat Nicephori enarratione, Lib. 18. *Hist. Eccl. cap. 48. fol. 946.* Nestorius, *inquit*, propter duas Naturas, duas etiam *Subsistentias* numerat. *Isti verò* (Eutyches & Monophysitæ) propter *unam subsistentiam, unam quoque substantiam & naturam.* Nestorii hæresis non dicit, *DEUM hominem factum esse, sed habitu quodam & affectione.* Unitum namque DEUM VERBUM sic homini ex Mariâ prognato refert, uti se Amicus amico *per affectionem* unit. Et multos Nestorius, *unionem DEI & hominis* nominans, *latenti quadam fraude fallit, re ipsa autem divisionem, non unionem* apertissimè docet. Si namque dicas, *non substantiâ ipsâ DEUM VERBUM homini, sed amicâ quadam affectione unitum esse, non unio certa, sed disjunctio vera fuerit.* Quapropter EUNDEM & *tenuem & sublimem hominem* ideò Nestorius dixit: *Tenuem* quidem, veluti *substantiali DEI unione* destitutum: *Sublimem* verò, tanquam à prima nativitate *virtutibus* perfectum. Proinde etiam reverà *DEI genetricem* (Mariam), *non Deigenetricem, sed CHristigenetricem* nominavit, perinde atque *divinum hominem* ac Deo amicum genuerit, qui *unctionem quampiam à DEO, Propheticam* videlicet, aut *Regalem & Pontificalem dignitatem* acceperit, *non autem Substantiâ ipsâ Deo unitus per incarnationem fuerit.* Huc usque Nicephorus.

§. 65. Ad hoc restinguendum hæreseos venenum præ cæteris occurrit Alexandrinæ Antistes Ecclesiæ Cyrillus, COELESTINI literis maximè incitatus, quibus ipsum in Nestorii causam inquirere jus sit, quod *anno 430.* frustra tentatum est à Cyrillo, ut ex Socratis *lib. 7. cap. 7.* recenset Dionysius Petavius *in Ration. Tempor. part. 1. lib. 6. d. cap. §. 39. pag. 375.*

§. 66. Conati sunt Nestorii hæresin in Linguis propagare aliis, sub *simplicitate* tamen, *ut fucatâ confessione* duarum naturarum in unâ Personâ (quod ut Nestorius confiteretur, induci non potuerat) Theodorus Mopsuestiæ Episcopus & alii ejusdem Sectatores. Quibus tamen restiterunt *Acacius Meletinensis & Rabula Edesæ* Civi-



Civitatis, Episcopi, ad Episcopos Armeniæ scribentes, ne libros Theodori, tanquam hæreticos & blasphemiam Nestorianam continentes, reciperent. Liberato Scriptor, *in Breviario cap. 10.*

§. 67. SYNODUS EPHESINA, cui CYRILLUS, Episcopus ille Alexandrinus, præfedit, cujusque doctrina & virtus cum primis innotuit, confirmat demum multorum Patrum eximiorum gravissimis sententiis illa, quæ de fide rectè dicuntur, damnatque contraria. Deponitur itaque Nestorius hæreticus per decretum, quod Evagrius recitat. *Lib. 1.* Ipsissimaque verba, quibus concepta fertur sententia, adscribit Nicephorus Callist. *Lib. 14. Hist. Eccl. cap. 34. fol. 748. B.* Extat & *in Volumin. Conciliorum* Epistola satis prolixa Synodi Ephesinæ ad Nestorium, quæ condemnationem ipsius proximè præcessisse videtur, cujus excerpta exhibet Salomo Gesnerus *Lib. 2. de Conciliis. pag. 353.*

§. 68. ANATHEMATISMOS aliquot composuit Cyrillus Synodi Præses contra Nestorium hujusque Satellites, quibus *unio hypostatica & Communicatio Idiomatum* probè asferuntur, quin & clarè doceatur, *unâ eademque adoratione* FILIUM DEI & FILIUM Mariæ honorandum esse. *CAPITULA* à nonnullis dicuntur, lectu scituque dignissima, quæ præbent Magdeburgenses *Centur. 5. cap. 9. col. 889. sq.* D. Sal. Gesnerus *d. lib. Hist. Enarr. Concil. pag. 355. sq.* Barth. Caranza *in Summâ Concilior. pag. 221. sq.*

§. 69. Nestorius intereâ Cathedræ tum quidem suæ, tum Johannis, Episcopi Antiocheni, & Theodoretæ, Episcopi Cyri, CYRILLI tunc temporis æmulorum, auctoritate subnixus, adscitis insuper aliis Episcopis ad XXX. qui partim manifesti Pelagiani erant, partim jam tum Sedibus suis ob heterodoxiâ ejecti fuerant, SYNODUM SYNODO in unâ eademque urbe opponere ausus est, tantâ audaciâ atque impudentiâ, ut Cyrillum & Memmonem, Episcopum Ephesinum in *Antisynodo* illâ pro hæreticis Sabellianis & Apollinaristis declararet, eorumque *ducentos & triginta Assesores* execraretur, totamque Synodum excommunicaret, quin imò Candidiani, Jenæi & Joannis purpuratorum ope adjutus, Literas



Synodales ad Imper. THEODOSIUM datas fraudulenter interciperet, & multis modis S. Patres affligeret; Sed tandem fraudes & malefactorum technæ detectæ & Acta Synodica ad Imperatorem perlata sunt, qui Concilii legitimè convocati definitionem confirmavit, & Nestorium in exilium pepulit, Cyrillo & Johanne Antiocheno reconciliatis. Nicephor. Lib. 14. *Eccl. Histor. cap. 35. & 36.* Dionys. Petav. *Rational. Temp. part. 1. lib. 6. cap. 15. pag. 376.* Amandatus in Oasin, verminante linguâ, miserabilem vitæ fortitus est exitum. Evagrio prodente *Lib. 1. cap. 7.*

## CLASSIS II<sup>dæ</sup> DIATRIBE. II.

De

### CONSESSU CHALCEDONENSI.

§. 70. Ex Oecumenicis CONCILIUM QUARTUM, quòd ultimò considerandum venit, est CHALCEDONENSE, inde sic dictum, quod celebratum CHALCEDONE in Bythinia.

§. 71. TEMPUS Synodi hujus frequentissimæ pariter & celeberrimæ ab aliis aliter annotatum reperitur. Onuphrius collocat in annum CH. *Quadragesimum quinquagesimum primum*, cui suffragantur Dionysius Patavius, *Ration. Tem. part. 1. lib. 6. cap. 19. pag. 392.* Juxtâ ac Joh. Henric. Altstedius, *Thesaur. Chronol. cap. 36. pag. 361.* Marianus autem Scotus, & Sibertus malunt *annum. 452.* Alii *annum sequent. 453.* Palmerius rejicit in *an. Chr. 454.* Sic & Joann. Faber, Episcopi Constantiensis Vicarius in Spiritualibus. *Lit. B. 3. oper. dogmat.* Quo tempore CONSULATUM geserunt Romæ OPILIO & VINCEMALUS, anno altero aut tertio Imperii MARCIANI, ut annotat D. Gesnerus *Lib. 1. de Concil. pag. 396.* Quæ lententia & D. Brochmanno arridet, ut disertè affirmet, Coactum esse Concilium Chalcedonense Oecumenicum anno Chr. *quadragesimo quinquagesimo quarto.* *Systemat. Theologic. Tom. 2. Artic. 29. Sect. 1. pag. 857. b.* Naclerus tamen ulterius illam Synodum

dum



dum producit, in annum nempe quadringentesimum *quingagesimum quintum*, cujus calculum sequitur. Salom. Gesnerus. Lib. I. *de Concil. pag. 77.*

§. 72. MARTIANUS Imperator, veluti ipsum Concilium testatur, *Action. 1.* Synodum indixit, ut Ipse interesset, destruendæ Pseudo-Synodi Ephesinæ Secundæ, & Orthodoxæ tam fidei confirmandæ, quàm tollendarum hæreticorum pravitatum causâ. Illud enim imprimis PRINCEPS AUGUSTISSIMUS intendebat, ut unum & communem ab omnibus, sublatis è medio hæresibus, DEO offerret cultum, & Ecclesia per conjunctionem unita sententiam & religionem unam coleret. Nicephoro teste. *Lib. 15. Hist. Eccl. cap. 1. fol. 788. B.* Sic & ipse Cæsar ad congregatos ait Episcopos; Nos *ad confirmandam fidem*, non ad ostendendam virtutem, exemplo Imperatoris CONSTANTINI, adesse Synodo cogitavimus. &c. Tom. 1. *Concilior. fol. 740.*

§. 73. Ansam huic Concilio dedit Eutychis & Complicum hæresis atque impostura. Ille enim cum tempore Concilii magni Ephesini acriter contra Nestorium & Nestorianos disputasset, justò longius provector in contrarium errorem incidere, & non *unam tantum Personam*, sed *unam* etiam duntaxat *naturam* in Christo statueret, Nestorianos eos dicens, qui ita unitatem personæ in eo assererent, ut duas naturas simul profiterentur. Tam autem absurdus fuit, ut *ante incarnationem VERBI* duas quidem Christi naturas fuisse putaret, *post incarnationem* verò *unam* saltem: Inverso planè ordine, cum contrarium verum sit. Item, ut *Deitatem* ipsam diceret *crucifixam & sepultam* esse, demumque *tertio die* resurrexisse. Unde etiam fatebatur, *ex duabus naturis* Christum esse, sed non *in duabus*.

§. 74. Hæc insanæ mentis deliria primò FLAVIANUS, Episcopus Constantinopolitanus, Convocatâ ad principem Orientis urbem Constantinopolim *triginta duorum Episcoporum*, Synodo, ut hæretica damnavit. Quam in re etiam LEO Magnus, Papa Romanus adstipulabatur Flaviano. Sed cum postea Eutychis patrocini-

nium



nium Dioscorus, Episcopus Alexandrinus, suscepisset, Chrysaphius Eunuchus, Flaviano admodum infensus, à Theodosio impetravit, ut res in Concilio quodam generali cognosceretur, dissuadente licet LEONE Magno, Episcopo Romano, qui eam ut manifestam hæresin, quin imò stultitiam, ulteriori examine haud indigere censebat. THEODOSIUS JUNIOR itaque Synodum Ephesi circa annum Chr. 449. coëgit, postquam Dioscorus partes Eutychis in se susceperat, qui, ut totus Eutychianus erat, ita hæresin Eiusdem non solum approbavit, sed factione quoque Monachorum Eutychianorum, & cum primis ope Purpuratorum Theodosii, Episcopos Catholicos ad subscribendum Eutychis Symbolo, tum minis, tum verberibus adegit, milite cum fustibus & gladiis in Concilium immisso, FLAVIANUM verò, virum pietate commendatum, ad LEONEM & Ecclesias Occidentales provocantem, culcibus & pugnis contundere permisit, ut instinctu Barsamæ Monachi à milite ad necem verberatus posttriduum moreretur. LEONIS Magni Legati nefandis illis factis strenuè contradixerunt, ex quibus unus vix & alter fugâ Romam elapsi sunt. Unde famosam illam Synodum notanter *λησεμην*, *Latrocinantem, predatori- am, propbanam*, quin imò *Latronum concursum* appellarunt.

§. 75. Cùm MARTIANUS in Imperio A. Chr. 450. successisset Theodosio, post exactam impiam illam ac sceleratam Synodum Ephesinam secundam, CÆSAREM de Ecclesiæ tranquillo statu jam dum piè & sapienter cogitantem, LEONIS, Romani Episcopi, accesserunt Legati, qui propter violentas Dioscori actiones, è Synodo Ephesino-Spuria pedem retulerant, contendentes, efficeret, ne Eutychis blasphema dogmata inexcusata relinquerentur, quod & Anatolium, Episcopum Constantinopolitanum, ab Imperatore petiisse, scribit Zonaras. Nec destitère illi, qui à Dioscoro contumeliis affecti fuerant, apud Martianum urgere, ut causæ eorum in Synodo dijudicarentur. Venit item Eusebius, Dorilæi Episcopus, injurias, quibus à Chrysaphio ipse & Flavianus affecti, ac per contumeliam iniquè depositi fuissent, explicans,



cans, maximè verò inter cætera exaggerans, quàm miserabili modo Flavianus trucidatus esset. Hisce addidit causis LEO Pontifex, *Epistolâ quadragesimâ quartâ ad Martianum Imperatorem*, accepisse se ex Anatolii literis, permultos in Synodo Ephesina Dioscori factione compulsos, ad consentiendum impiis ejus statutis, nunc veniam desiderare & communionem expetere, quorum habenda ratio & Synodus congreganda sit.

§. 76. Imperator igitur animum ad novum aliquod Concilium appulit convocandum, indixitque Synodum apud Nicæam. Quia verò commodo multorum fieri haud posset, propter longinquitatem itineris & quosdam Imperii motus venire Nicæam, admonitus MARTIANUS, consiliò mutató, Synodum *CHALCEDONEM* transferri curavit, propè Constantinopolim, ut & Ipse eidem interesse posset, de toto iccirco Orbe Christiano conscripsit Episcopos. Extant ejus rei Epistolæ Imperiales duæ *in Volumin. Conciliorum*.

§. 77. Convenit *CHALCEDONI* frequentissima *SYNODUS* Episcoporum *sexcentorum ac triginta*, ex omnibus terris. Mittit eò LEO, Episcopus Romanus, *Paschasinum Lilybetanum, Lucentium*, Episcopum *Asculanum, Bonifacium, Basilium*, presbyteros, & fratrem *Julianum*, prout *in Epistola ad Martianum* indicatur. Venit eòdem & *Anatolius* Constantinopolitanus, & *Juvenalis* Hierosolymitanus. Comparuit *Dioscorus Alexandrinus*. Ipse vel MARTIANUS Imperator *cum REGINA PULCHERIA Augustâ*, comitatu stipatus illustrissimo interfuit Conventui, qui verendos Patres & Episcopos, posteaquàm ante cancellos Altaris in Euphemix martyris templo confedisent, eleganter magnificâ allocutus est oratione.

§. 78. *PASCHASINUS*, primarius Romani Pontificis Legatus, Synodi istius *PRÆSES* fuisse videtur: Is enim in initiò indicat, *LEONEM* præcepisse, ut ipse decerneret. Tertiæ quoque & sextæ actionis subscriptio idem innuit, quæ ejusmodi est; *Paschasinus vice Domini mei, Leonis Papæ Romani, Synodo præsidens*.

E

§. 79. Ma-



§. 79. Maximam quoque habuiste authoritatem JUDICES, Senatores & arbitros ab IMPERATORE admissos, & ipsa Synodi acta, & Evagrius *Lib. 2. cap. 4.* docent. Inspectores perhibentur è Senatu Primates, Magister militum *Anatolius*, Præfectus Sacrorum prætoriorum *Palladius*, Præfectus Urbis *Taceanus*, Magister Sacrorum officiorum *Vincemalus*, *Martialis* Comes Sporarius, comes rerum privatarum *Genethtius*, Præfectus Prætorii *Florentius*, Senator *Patricius*, Præfectus & Consul ordinarius *Protogenes*, Præfectus *Zoilus*, Præfectus Urbis *Theodorus*, juxta & *Apollonius*, Præfectus Sacri Cubiculi *Romanus*, Præfectus Illyrici *Theodorus*, Præfectus *Constantius*. &c.

§. 80. Ad actiones deinde Synodus procedit. LEONIS Legati Dioscorum confesſu excludi volunt, ut cui non *Judicis persona*, quam præter æquum & justum antea usurpâset, *agunda*, sed *judicium* suis factis dignum *sustinendum* sit. Synodi igitur cognitione Dioscorus in medium consistere jubetur. Prodit tum Eusebius, his Dioscorum accusans verbis; *Injuriam passus sum à Dioscoro, injuriam passa est fides, depositus est unâ mecum per injuriam Flavianus Episcopus & demum occisus.*

§. 81. *Tredecim* Confesſus Synodi habitos esse scribit Dionysius Petavius. *part. 1. Ration. Temp. Lib. 6. cap. 19. pag. 392.* *Quindecim* alii. *Sexdecim* D. Salomo Gesnerus *Lib. 2. de Concil.* quos ex ordine recenset. *pag. 399. sq.*

§. 82. Retractata sunt in hoc Concilio Chalcedonensi, quæ antea in Pseudo-Ephesina Synodo decreta fuerant. Eutyches, Dioscorus, & omnes eorum asseclæ, qui vel *unam naturam divinitatis & carnis* facerent, vel ipsam divinam FILII DEI naturam passibilem esse dicerent, damnati sunt atque proscripti.

§. 83. Confecerunt S. Patres STYMBOLUM à loco CHALCEDONENSE dictum, quod ab Evagrion *lib. 2. cap. 4. recitatur*, in quo contra Eutychianos disertè profitentur; Se credere in JESUM CHRISTUM èν δύο φύσειν *in duabus naturis*, ἀσυγχύτως, *inconfuse*, ἀτρέπτως *inconvertibiliter*, ἀδιαγέτως, *indivulse*, ἢ ἀχωρείως γινωσκόμενον & inse-



*inseparabiliter* consistentem atque cognitum, perfectum *in DEITATE*, & perfectum, ut loquuntur, *in humanitate*, DEUM verum & HOMINEM verum, ex animâ rationali & corpore constantem, ut Idem *CONSUBSTANTIALIS* statuatur PATRI secundum *divinitatem*, & *per omnia similis nobis*, absque peccato, secundum *humanitatem*, qui ante secula quidem *genitus à Patre*, in novissimis autem diebus propter nos homines & nostram salutem *homo factus* & ex Maria virgine *θεοτόκος* natus, ita ut ambæ naturæ, divina & humana, *salvâ utriusq; proprietate*, in unam *hypothesin* & *Personam* concurrant.

§. 84. Verba Concilii sunt; *CHRISTUS*, inquiunt, *eiusdem est cum PATRE substantiæ secundum DEITATEM*, *eiusdem substantiæ & similis nobis per omnia secundum humanitatem*, dempto peccatô. *UNUS IDEMQUE IN DUABUS NATURIS citrà confusionem, mutationem, divisionem, separationem, distantiam unitis, faciente quaq; naturâ, quod sibi est proprium, cum alterius communione.*

§. 85. Venustissimum pariter & vetustissimum manuscriptum Græcum Illustrissimæ Synodi illius Chalcedonensis, *die Mercurii post Domin. Quasimodogeniti, VIII. Kal. Maii. superioris anni c1010c LXVI.* vidi in celeberrima Rauracorum Academia, cum nobis Bibliotheca, quæ Basileæ est instructissima, per Virum multis nominibus clarissimum, Plur. Rever. Amplisf. & Excellentisf. Johan. Rudolphum VVetstenium, SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Bibliothecarium ibid. Primar. aperiretur, expositis prius reconditarum antiquitatum monumentis, nec non Ammersbachianarum rerum elegantiss.

§. 86. Et quemadmodum illa omnia Confessio fidei in Synodo illa Chalcedonensi edita pluribus edisferit: Ita eadem doctrina constanter à Theologis Orthodoxis traditur, factaque ac tecta conservatur. Leg. D. Martini Lutheri Lib. *de ultimis verbis Davidis*. Tom. 8. *Jenensf. fol. 165. sq.* Johan. Brentii Tract. *de Personali unione duarum naturarum in CHristo*. Tubingæ imp. an. 1561. D. Martin. Chemnitii lib. *de duabus CHr. naturis*. D. Ægidii Hunnii Lib. 4. *de Personâ CHristi*. &c.

§. 87. Præ



§. 87. Præ cæteris autem tunc insignis in tanto discrimine extitit opera LEONIS Magni, Episcopi Romani, cujus toties mentio facta est, & quem propter Sacrarum Literarum eruditionem ac vitæ sanctimoniam Sexcenti illi ac triginta Episcopi in Chalcedonensi Concilio *SANCTUM* prædicarunt. Ut Leonē se præbuit animosū in causa Eutychis, cui<sup>9</sup> hæresin intrepidè damnavit, & ut Pseudosynodi Ephesinæ acta alio atq; legitimo Concilio rescinderētur, effecit.

§. 88. LEO præterea Epistolam scripsit ad Synodum Chalcedonensem, in qua Eam fideliter adhortatur, ut secundum Sacrarum Scripturarum regulam de doctrinā judicent, quæ in ordine ejus Epistolarum est quadragesima septima. Miserat & LEO ille Magnus Epistolam præclaram (Quæ hodie est inter epistolas ejus decima) in qua totam doctrinam de Incarnatione FILII DEI & EJUS PERSONA controversam contra Nestorium, juxta ac Eutychem ex Sac. Literis tam doctè, nervosè & solidè exposuit, ut vix melius vel accuratiùs exponi possit. Unde & Synodus Chalcedonensis indubitato eam approbavit, mirificis laudibus, ut par erat, extulit, & Confessionem suam inde depromsit. Qua lectâ, conclamarunt omnes; *HÆC EST APOSTOLICA FIDES!* Anathema sit, qui aliter sentit.

§. 89. CONCILII hætenus plurimum laudati ex merito, Oecumenici Quarti, decreta, autoritate AUGUSTÆ firmata, multum valere ad Ariannorum, Macedonianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, illorumque, quæ sunt ejusdem fecis, lites finiendas, qui Christi Ecclesiam gravissimè perturbarunt & miserè dilacerarunt.

§. 90. Atque nos heic pedem figimus. Plura qui de Concilio hoc cæterisque Oecumenicis desiderat, adire potest Conciliorum Tom. 1. Concilii cujusq; præambula & acta. Evagrii Lib. 1. cap. 10. & Lib. 2. cap. 4. Liberati Breviar: cap. 10. 12. Zonaræ Annal. Tom. 3. Niceph. Hist. Eccl. Lib. 14. cap. 47. fol. 765. c. 49. f. 769. Et Lib. 15. cap. 2. fol. 788. c. 3. fol. 789. & cap. 4. fol. 790. sq. Polydor. Vergilii Lib. 8. de Inventorib. rerum, cap. 5. pag. m. 474. Dionysii Petavii Rational. Temp. part. 1. Lib. 6. cap. 19. pag. 393. Magdeburgensium Centur. 5. cap. 9. col. 931. sq. Theodor. Zvingeri Theatr. Histor. Volum. 27. Lib. 3. fol. 4158. sq. Johan. Cluveri Epitom. Histor. lib. 9. pag. 388. b. Conrad. Horneii Disp. Theo!. Disp. 2. de Interp. S. Script. Thef. 193. pag. 227. sq. Joan. Micrælii Syntagm. Histor. Eccles. Lib. 2. Sect. 2. quæst. 23. pag. 289. Joh. Ludovici Gottfrieds Chronic. Monarch. part. 5. fol. 418. Joan. Heinric. Altstedii Thesaur. Chronologic. cap. 36. Chronolog. Conciliorum. pag. 361. Timanni Gesfælii Histor. Ecclesiastic. part. 1. p. 620. sq.

T A N T U M!



JK 2159

ULB Halle

3

007 373 341



VD17









TRACTATUS  
HISTORICO-  
CHRONOLOGICUS,  
VENERANDÆ ANTIQUITATIS

Innixus  
Subsidio,

Quo

ILLUSTRES ECCLESIAE CHRISTIANÆ  
PROCERUM, S. PATRUM, EPISCOPORUM  
PRESBYTERORUM,

Aliorumque Clarorum Virorum,

CONSENSUS

Præcipui

*aperiuntur,*

Causâ Ejusdem olim congregatorum.

Simul ac

CONCILIA QUATUOR OECUMENICA,

Suo quodque loco collocatum,

Nec non SYMBOLUM cujuscunque, CANONES

quoque, CAPITULA, DECRETA, & id genus alia

*dilucidantur,*

Ex

*Recensione & Interpretatione*

JOHANNIS LUDOVICI RUËLII, Rëetzensis Neo-Marchici,

*Theolog. & Philosoph. Doctör. antehac Archipresbyteri Ecclesiarum, quæ Strasburgi sunt, Borussiae.*

Impensis Authoris,

COLONIAE BRANDENBURGICÆ,

Ex Officinâ Georgi SchultzI, Elect. Typogr. clō Ioc LXVII.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches